



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MUZAFFARPURENSIS***EX INTEGRO NOVA
DIOECESI MUZAFFARPURENSIS EXCITATUR
IN INDIA LOCIS QUIBUSDAM DETRACTIS A DIOECESI PATNENSI

Quandoquidem omni semper ope operaque contendendum esse arbitramur ut Evangelium Christi expeditissimis quibusque viis per terras disseminetur, apta igitur etiam Nos consilia inire pro auctoritate Nostra volumus, quibus eadem evangelizationis viae efficaciter aperiantur munianturque in posterum. Perlibenter ideo accepimus ac sanximus sententiam ipsam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositorum qui plana consensione suaserant ut nova in India conderetur dioecesis circum urbem vulgari nomine « Muzaffarpur », appellatam. Quare per hasce Litteras Nos ex apostolica Nostra auctoritate edicimus ac decernimus ut a dioecesi Patnensi seiungantur civilia loca « West Champaram », « East Champaram », « Gopan Ganj », « Siwan », « Saran », « Vishali », « Muzaffarpur », « Sitamarhi », « Madhubani », « Darhanga », « Samastipur », « Saharsha » et « Begusarai » proindeque coniungantur in novam dioecesim deinceps nuncupandam Muzaffarpurensis, quae eosdem finium limites habeat quos memoratae iam ipsae regiones civiles quaeque velut suffraganea subnectatur archidioecesi Ranchiensi. Eodem autem tempore praecipimus ut novae dioecesis cathedra episcopalis intra sacram principem aedem collocetur eiusdem civitatis Muzaffarpurensis utque pro canonicis ipsis iure quidem destinentur consultores dioecesani. Volumus praeterea ut documenta singulaque ad novam dioecesim attinentia recte exarentur certaue eorum exempla solito molo signata ac sigillo munita ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione protinus transmittantur. Quae vero hic singillatim praestituimus, ad effectum ipse deducat Venerabilis Frater Lucianus Storero, Archiepiscopus titulo Tigimmensis atque Apostolicus in India Pro-Nuntius, qui a Nobis ad id deputatus est necessariisque huius mandati causa facultatibus exornatus, haud excepta potestate idem officium alteri cuidam subdelegandi. Has denique Apostolicas Litteras Nostras tam nunc quam posthac ratas plane esse iubemus suosque proprios exserere effectus, contrariis quibuslibet neququam obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die sexto Martii mensis anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

AGNELLUS Card. ROSSI
S. Congr. pro Gentium Evang. Praep.

Godefridus Mariani, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXII (1980), n. 3, pp. 262-263

© Copyright 1980- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana